

paelo. *Maledicta dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta: maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens: natus est tibi puer masculus: qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum.* Paria ferme in Abacuco cap. 1, v. 2, et seq. leguntur. Phrasibus ita vividis, ut modum superare videantur, frequentissime utuntur Psalmi. Verborum igitur Jobi vis ex ejusmodi Orientalium primavorumque idiomatum stylo mitiganda est.

Deinde si Jobus in impatientia et blasphemiae crimen revera lapsus dicatur, Satanas ipsum tentando superavisset: adeoque S. Scriptura merito, patientiae et virtuti Jobi favens, vel mendax esset, vel suspecta, quod impium est cogitare. Verba igitur loquentis ita accipienda sunt, ut omni blasphemiae et impatientiae suspicione, quam primo intuitu ingerunt in audientes, penitus liberentur.

« Non ita tamen Jobum excusamus, ut illius verba laude digna judicemus. Neque enim omnes Jobi sermones culpa vacasse asserimus. Quaedam illi exciderunt quae vivida nimis esse et modum excedere videantur. Miles est, qui strenue hosti resistens, illum denique superat, sed non sine vulnere. Tentatur Jobus spiritu blasphemiae: doloris acerbissimi stimulos animo patitur, quorum molestiam diu et forte etiam pluribus mensibus tacens tolerat. Denique illi verba quaedam meroris excidunt, animi sententias coram amicis effundit, idque exprimit quod mente patitur vividis phrasibus et emphaticis; semper tamen intra debitam providentiae et sapientiae Numinis observantiam. In his omnibus nihil censura notandum occurrit, nihil quod ab adversariis tanta severitate reprehendatur. Dandum est aliquid aestui doloris, ut datur aegrotum quem morbus angit. » Calmet ad cap. III Job, v. 1. Videsis sacrum textum cap. xxxix, v. 25, cap. xlii, v. 6.

Quoad vero libri argumentum attinet, totum sane in hac maximi momenti quaestione versatur: utrum viros tantum impios in hac vita malis afficiat Deus, inter quos Jobus recenseretur: affirmabant amici. Contra vero Job suae innocentiae conscius, gravioribus quam mereretur se poenis affectum asseruit; et justos, vel tantum ad eorum constantiae experimentum, vel etiam ad perfectionis incrementum, vel denique ob Dei judicia omnino homini impervia quandoque plecti ostendit. Controversiam Deus ipse definiit, vera Jobum disputasse pronuntians; « quin tamen quaedam temere prolata comprobaret, quae doloris vis et disputationis ardor, veluti per vim ab eo eduxerant. » Calmet, Dict. Bibl., verbo Job.

Hanc sacrarum Scripturarum de calamitatum ac malorum distributione in hac vita doctrinam, Augustinus, plus semel in suo aureo libro de Civitate Dei, inculcavit. « Placuit divinae providentiae, sic ille, praeparare in posterum bona iustis quibus non fruuntur impii, et mala impiis quibus non cruciabantur boni. Ista vero temporalia

bona et mala utrisque voluit esse communia: ut nec bona cupidius appetantur quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur quibus et boni plerumque afficiuntur. » De Civit. Dei, lib. 1, cap. 8.

Et cap. 9 eod. haec addit: « Deinde habent aliam causam boni, quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Job; ut sibi ipse humanus animus sit probatus, et cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat. »

Amplius cap. 2, lib. xx eod., se ignorare dixit « quo judicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives: iste gaudeat quem pro suis perditis moribus cruciari debuisset meritoribus arbitramur; contristetur ille quem vita laudabilis gaudere debuisset persuadet. . . . Quamvis enim haud sciamus quo judicio Deus ita, vel faciat, vel fieri sinat, apud quem summa virtus est, et summa sapientia, summaque justitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas, salubriter tamen discimus non magni pendere, seu bona, seu mala, quae videmus esse bonis malisque communia. »

Quis sit auctor libri Job incertum est: quippe variae sunt ac multiplices auctorum ecclesiasticorum sententiae, « nullis tamen, ut Natalis Alexander scribit (Hist. Eccles. Vet. Test., diss. 13, propos. 4), firmis argumentis, sed levioribus conjecturis fultae. » Quidam ab eodem ipso primum Syrorum seu Arabum idiomate exaratum, postea vero a Moyse vel ab Israelitarum aliquo hebraice versum autumant; quidam vero vel Salomoni, vel Isaiae, vel denique recentiori alicui attribuunt: nonnullis a Moyse conscriptum esse visum est. In hac opinionum varietate, consultus cum S. Gregorio Magno in praefat. in Job. cap. 1, dicimus.

« Quis haec scripserit, valde supervacue creditur: cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit qui haec scribenda dictavit. Ipse scripsit qui et illius operis inspirator existit. »

Liber hiecc, non soluta oratione, sed carminibus instructus est, nequaquam sono, aut numero addictis. In phrasium vero ac conceptuum sublimitate, in descriptionum proprietate, dictionumque varietate, ita eminet, ut nihil supra. « Sane poesi hac uberem, et elegantissimam, varietatibus atque ornamentis magis refertam apud veteres invenire non erit. » Calmet, Dict. Bibl., verbo Job. Ab utraque Latinorum et Graecorum Ecclesia, ut et a Trident. sess. 4, liber iste canonicus et fide credendus habetur, sicut et antea tenuit Synagoga quae eundem inter hagiographos venerata est.

Jobum aliquando inter homines vitam egisse, nec scenicam esse personam, et revera ipsi contigisse quae in libro ejus nomine inscripto narrantur, luculentissimis S. Scripturarum testimoniis evincitur, quae Jobi pietatem ac patientiam commendantes, fidelibus in exemplum proponunt. Sic apud Ezechiel. cap. xiv, v. 14 et seqq.: *Et si fuerint tres viri in medio ejus* (Noe, Daniel et

Job), *ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. . . . Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine. . . . et Noe, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus. . . .* — Item Tobiae, c. ii, v. 12 et 15: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi* (Tobiae), *ut posteris daretur exemplum patientiae ejus sicuti et sancti Job. . . . Nam sicut B. Jobo insultabant reges, ita isti cognati ejus irridebant vitam ejus* (Tobiae), *dicentes: Ubi est spes tua?* — Amplius Jacobi, cap. v, v. 11: *Ecce beatificamus*

## JUBILAEUM.

## SUMMARIUM.

1. Jubilaei etymologia indicatur, et unde sit dictum, ad n. 2. — 3. Annus Jubilaei quid sit, et cur dicatur annus sanctus, ad n. 4. — 5. Jubilaeum triplex assignatur, et taliter sumptum quid sit, ad n. 6. — 7. Jubilaeum Romanum quando incipit, a quo primum institutum, intra quot temporis spatium recurat: vide v. Annus Sanctus. — 8. Durante Anno Sancto quales indulgentiae suspendantur, vel non, ad n. 16. — 17. Anno Sancto quales facultates absolventi suspendantur, vel non, ad n. 21. — 22. Suspendio indulgentiarum et facultatum in Anno Sancto quando incipiat et desinat. — 23. Ad lucrandum Jubilaeum Anni Sancti quid requiratur. — 24. Jubilaeum Anni Sancti quoties lucrari possit. — 25. Jubilaeum a Papa concedi solitum post explem Annum Sanctum provi- cibus exta Italianam, quae continet, et a quibus lucrari possit, ad n. 27. — 28. Bullae Jubilaei quomodo interpretandae. — 29. Affertur tenor notificationis pro Jubilaeo Anni Sancti concessa a Clemente X, et pro alio concessa ab Innocentio XII ad n. 30. — 31. Subnectitur

## ARTICULUS I.

*Jubilaeum quoad ea quae concernunt ejus etymologiam, naturam et divisionem.*

(1. Hoc nomen *Jubilaeum, Jubileum, Jubilaeus, Joboleum, Jubilaeum*, ab aliis atque aliis, teste Gobat in Quinario, cap. 1, de Jubilaei natura, num. 1, sic diversimode scriptum, significabat apud Hebraeos annum remissionis quolibet quinquagesimo recurrentem, quo scilicet cuilibet suae possessiones, domus, agri, vineae, et alia hujusmodi, quae per hypothecam, venditionem, etc.; a se alienaverat, item mancipia suae libertati sine aliquo pretio restituebantur, quo etiam anno terra non colebatur, sed vescebantur Judaei iis quae partim ex praeteritis annis collegerant, et partim illo anno terra ipsa sine ulla cultura sponte producebat, quod totum clare patet Levitici xxv, ubi inter alia, sub num. 10 et 11, impositum fuit Hebraeis hoc speciale praecipuum: *Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae, ipse est enim Jubilaeus; revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque redibit ad familiam pristinam, quia Jubilaeus est, et quinquagesimus annus.* (2. Hoc nomen putant Liranus et Turrecremata apud Navarrum, to. III, comment. de Jubilaeo et Indulgentiis, notabil. 1, num. 2, derivari a voce Hebraea *Jobel*, quae buccinam sonat: buccinae enim sonitu Jubilaeus indicabatur. Alii tamen dicunt quod *Jobel* significat

*eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis.*

Ut proinde eorum insipientia et temeritas omnino notanda sit qui Jobi existentiam impugnare vel de ea dubitare ausi sunt, contra quam S. Scripturarum testimonia apertissime declarant, Ecclesiaeque Latinae ac Graecae Patres, universa antiquitas, scriptorumque, atque interpretum chorus uno ore testantur. Hinc Ecclesia illum ut sanctum colit, ejusque festum celebrat vi Idus Maii, in Martyrol. Rom. Sed haec hactenus.

bullae suspensiva indulgentiarum tempore Jubilaei Romani edita a Benedicto XIII ad n. 32. — 33. Declaratio ex viva vocis oraculo (jusdem Benedicti XIII quoad indulgentias in Anno Sancto suspensas. — 34. Indicantur aliae gratiae ad hoc a prelaudato Summo Pontifice concessae ad n. 37. — 38. Affertur consuetudo Benedicti XIV suspensiva indulgentiarum pro Anno Sancto. — 39. Indulgentia plenaria quatenus ipsa significat remissionem totius poenae debita pro peccatis, obtinetur etiam Anno Sancto a profitentibus in religione ad n. 42. — 43. Quaedam annotantur de Suspensione indulgentiarum in Anno Sancto ad n. 45. — 46. Subnectitur bulla Benedicti XIV concessionis indulgentiarum in Anno Sancto pro monialibus, anachoretis, etc. — 47. Affertur notificatio pro animabus in purgatorio. — 48. Indicantur concessionem et privilegia pro Monachis de Observantia. — 49. Subnectitur alia constitutio Benedicti XIV in materia Jubilaei. — 50. Affertur ad hoc resolutiones var. dubiorum ad n. 79. — 80. Adducitur consuetudo Clementis XIII indictione Jubilaei anno 1 sui pontificatus.

*quinquagesimum.* Unde potius dici deberet *Joboleus* quam *Jubilaeus*. Alii vero cum Bellarmino de Indulgent, lib. 1, cap. 1; Sanctarello tract. de Jubilaeo, cap. 1, dub. 1, dicunt derivari a verbo Hebraeo *Jubal*, quod significat producere seu germinare, quia illo anno quinquagesimo, ut dictum est, terra sine cultura de se fructus producebat.

(3. Hinc ex quo Dominus Noster Jesus Christus non venit solvere legem, sed spiritaliter adimplere, ad similitudinem antiqui ritus, ut pote futurorum praefigurativi, in Ecclesia catholica altiori quadam ratione institutus fuit *Annus Jubilaeus, seu Jubilaei*; communiter appellatus *Annus Sanctus*, eo quod ipso anno plenissima peccatorum remissio seu indulgentia sit concessa, et ad eam lucrandam sanctissima pietatis opera a fidelibus certatim edantur, ut notat Gobat loc. cit., num. 2; Sanctarell. loc. cit., dub. 2, et alii passim. (4. Unde annus Jubilaei solet a theologis sic describi: « Annus quo visitantibus certas ecclesias et certa pia opera facientibus indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa absolutionem a peccatis et censuris reservatis, et circa commutationem votorum. » Et circa hunc annum Jubilaei, quamvis aliqui, ut notat Viva de Jubilaeo quest. 1, art. 1, num. 3, dixerint quod Annus Sanctus vocari debeat *Jubilaeus*, remissio vero et indulgentia *Jubilaeum*. Sanchez tamen docet indifferenter utrumque vocari, et *Jubilaeus* et *Jubilaeum*.

(5. Jubilæum est triplex: scilicet *Romanum*, quod Romæ Anno Sancto celebratur. *Compostellanum*, quod ex concessione Alexandri III, ut refert Gobat l. c. n. 2, habetur Compostellæ toto illo anno, quo S. Jacobi apostoli festum incidit in diem Dominicum, et *Extraordinarium*, quod extra Annum Sanctum ob gravem aliquam causam indici solet. (6. Et Jubilæum, ut sic hæc tria jubilæa complectens recte describitur dicendo quod sit indultum Pontificis indulgentiam plenariam et magna privilegia tribuens, certa opera in brevi præscripta præstantibus. Est in re communis.

(7. Jubilæum Romanum, seu Jubilæum Anni Sancti quando incøperit; a quo primo institutum; intra quod temporis recurrat; quibus ritibus indicetur, inchoetur et terminetur; qua die et hora incipiat et desinat; quæ basilicæ, et quoties visitandæ pro ipso Jubilæo lucrando? Vide verb. *Annus Sanctus*, per tot.

(8. Durante Anno Sancto suspenduntur omnes indulgentiæ plenariæ concessæ pro vivis. *Communis*, et hoc clare constat ex fine suspensionis, qui est ne usu indulgentiarum impediatur accessus ad Urbem, ut exprimitur in Extravagant. *Quemadmodum*, de Pœnit. et remiss. (9. Non suspenduntur tamen indulgentiæ altarium privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ indulgentiæ plenariæ concessæ pro mortuis et pro moribundis, seu constitutis in articulo mortis. Sic tenent Gavantus, Peyrinus, Lezana, La Croix lib. vi, p. II, n. 1401; Reiffenstuel Theol. Moral., tract. 12, dist. 3, num. 99 et 100; Felix Potestas tom. I, nu. 3835; Viva de Jubilæo, quæst. 4, art. 4, et alii passim, referentes sic declarasse Urbanum VIII, Innocent. X, et Clement. X, qui ultimus cum in sua notificatione infra sub num. 28, adducenda dicat *Declaramus*, valet hoc etiam pro futuro tempore, ut recte notat La Croix loc. cit. (10. Neque suspenduntur indulgentiæ concessæ domû augustissimæ Lauretanæ, ut declaravit Gregor. XIII, teste Benzoni, l. iv, cap. 7, et Viva loc. cit., quæst. 4, art. 1, num. 3. (11. Nec suspenduntur indulgentiæ Compostellanæ, ex declaratione Sixti V, ut refert, et tenet Viva loc. cit. num. 3. Castropal. tractat. 24, punct. 12, num. 8. La Croix loc. cit., num. 1401, et alii. (12. Nec suspenditur indulgentia Portiunculæ Assisii, ut declararunt varii Summi Pontifices, et signanter Innocent. X, 5 jul. 1650; Clemens X, 12 novembr. 1664, et Innocent. XII, 21 Augusti 1699, in suo brevi per extensum adducto sub verb. *Indulgentia*, art. 5, num. 55. In aliis vero ecclesiis Franciscani ordinis suspenditur talis indulgentia Anno Sancto pro vivis, minime pro defunctis. Felix Potestas, tom. I, part. iv, num. 3796, et alii. Cum enim talis indulgentia sit extensa ad omnes ecclesias ordinis ubique existentes a Gregorio XV, constituit. incip. *Splendor paternæ* ad litteram adducta sub verb. *Indul-*

(106) Haud scio an hæc opinio ab aliquo cordato viro possit sustineri, nisi ab eo qui religione ad ostendendas ingenii sui vires abuti velit.

*gentia*, art. 5, num. 51, et posse applicari etiam pro defunctis fuerit concessum ab Innocent. XI, constituit. incip. *Alias*, per extensum adducta sub dict. verb. *Indulgentia*, art. 5, num. 52, et supra sub num. 9 fuerit ostensum non suspendi Anno Sancto indulgentias concessas pro defunctis, stat clarum dictam indulgentiam suspendi tali anno in aliis ecclesiis ordinis solum pro vivis, et minime pro defunctis.

(13. Anno Sancto non suspenduntur probabiliter indulgentiæ bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contractus. Ita Salas, Bonacina, Henriquez, Sanchez, La Croix loc. cit., num. 1401; Viva loc. cit., art. 3, nu. 1, ubi ex Rodriguez apud Dianam part. i, tract. 3, resol. 97, refert sic declarasse Clementem VIII. (14. Nec suspenduntur probabiliter Indulgentiæ non plenariæ concessæ a Summis Pontificibus. Ita Filliuccius, Gobat, Lezana, Castropalaus, Dicastill., Quintanadvenas, Paustus, Peyrinus, Benzoni, cum La Croix loc. cit., num. 1401; Viva loc. cit., quæst. 4, art. 1, n. 2, et alii plures. Et ratio est quia plurimi Pontifices in suis bullis Jubilæi Anni Sancti, ut Clemens VI, Julius III, Gregorius XIII, et alii, et præsertim Sixtus IV, in Extravagant. *Quemadmodum*, de Pœnitent. et Remiss., solum suspendunt indulgentias plenarias. Unde si voluissent suspendere etiam non plenarias, eas expressissent, argum. cap. *Inter temporalia*, de Translat. Episcop. Nec obstat quod posteriores Pontifices non expriment plenarias, sed expriment omnes et singulas indulgentias, quia quidquid in posteriori lege non fuerit expressum, id veterum legum constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est, l. *Præcipimus*, cod. de Appel. Tum quia, quando quid aliud non exprimitur, suspensio ista accipi debet juxta jus commune. De jure autem communi solum plenariæ suspenduntur, ut constat ex citat. Extravag. *Quemadmodum*, quæ tanquam inserta in corpore juris facit jus commune, adeoque, etc. (106).

(15. Certum autem est quod Anno Sancto non suspenduntur indulgentiæ non plenariæ concessæ ab aliis quam a Summis Pontificibus, quia alii etiam durante Anno Sancto concedere possunt indulgentias partiales suæ facultati competentes, et Pontifices in suis bullis suspendunt solum indulgentias quæ sunt concessæ a Romanis Pontificibus, et id expresse declaravit Innocentius XII, in notificatione infra referenda sub num. 29, et tenent Bellegambe in Enchir. de Jubilæo, part. i, sect. 4, quæst. 2; Viva loc. cit., art. 1; La Croix loc. cit., num. 1401; Reiffenstuel loc. cit., num. 103, et alii passim. (16. Nec suspenduntur indulgentiæ stationum, et aliæ indulgentiæ concessæ basilicis et ecclesiis Romanis. Filliuccius, Lezana, Gobat cum Viva l. c. art. 1, n. 2, et patet ex notificatione Clementis X, infra adducenda sub num. 28.

(17. Anno Sancto non suspenduntur facultates absolventi a reservatis Papæ concessæ

ad alium finem quam lucrandi indulgentias, ut declararunt Clemens et Urbanus VIII, ut refert Viva loc. cit., qu. 4, art. ultimo, num. 1, et tradunt doctores cum ipso Viva, et Bellegambe loc., cit. quæst. 4. (18. Hinc non suspenduntur anno Jubilæi privilegia regularium in ordine ad absolvendum pœnitentes a reservatis Sedi Apostolicæ et commutandi vota. *Sic communis doctorum*, cum Bossio, Leandro, Henriquez, Fausto, Filliuccius, La Croix, Viva loc. cit., art. ultimo, num. 2, et sic declarasse Urbanum VIII, anno 1625, refert ex multis Busemb., § 2, de Indulgentiis. Et ratio est quia, ut mox fuit dictum, Anno Sancto suspenduntur solum facultates concessæ intuitu indulgentiarum; facultates autem et privilegia regularium non sunt concessa intuitu et occasione indulgentiarum, adeoque, etc. (19. Nec suspenditur facultas quam habent episcopi et alii prælati eligendi sibi confessarium a quo absolvantur: talis enim facultas non est concessa intuitu indulgentiarum. La Croix loc. cit., num. 1403; Viva loc. cit., art. ultimo, num. 3, et alii passim. (20. Nec etiam suspenditur facultas quam habent episcopi ex concilio Tridentino sess. 24, c. 6, absolventi ab occultis Papæ reservatis, et dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes et non deductis ad forum contentiosum, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, aut absolventi impeditos adire Sedem Apostolicam: talis enim facultas competit episcopis ratione proprii officii, et de jure communi, adeoque non suspenditur tali anno. (21. Sicuti neque suspenditur facultas quam habent prælati regulares ratione proprii officii in ordine ad absolvendos suos subditos; talis enim facultas non est eis concessa intuitu indulgentiarum, La Croix loc. cit., num. 1403. Viva loc. cit., art. ultimo, num. 4; Busembaum loc. cit.; Zerola verb. *Annus Sanctus*, § 4, et alii passim.

(22. Suspendio indulgentiarum et facultatum in Anno Sancto incipit a primis vespere Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et desinit cum fine Vesperarum ejusdem vigiliæ anni sequentis, tuncque reviviscunt absque nova concessione. Castropalaus tract. 24, punct. 12, S. 1; La Croix loc. cit., num. 1405, et alii passim. (23. Ad Jubilæum Anni Sancti requiri solet confessio: an autem exigatur etiam communicatio dubitant doctores, quia bulla non exprimit. Unde La Croix loc. cit., n. 1400, dicit non requiri, sicuti et dicunt plures alii; Filliuc. vero, n. 251, et alii putant eam præsupponi. (24. Requiritur tamen per omnes visitatio certarum ecclesiarum in bulla expressarum, et quidem ab incolis Romanis per triginta dies continuos vel dispensativos, et a peregrinis seu exteris per quindecim. Putatque Bellegambe loc. c., sect. 3, q. 3, toties obtineri posse hoc Jubilæum quoties repetuntur opera præscripta, et id declarasse Urbanum VIII, tenet et refert Bonac. disp. 6, q. 1, punct. 5, n. 32, apud Busemb. loc. cit.

(25. Post absolutum Romæ Annum Sanctum solet Papa concedere Jubilæum etiam

pro aliis provinciis extra Italiam, si nuntii apostolici vel episcopi requirant, ut notat Gobat in Quinario tract. 3, de Jubilæo, num. 409 et 412, ubi dat exemplaria. (26. Et tale Jubilæum possunt in partibus iterum lucrari qui Romæ lucrati sunt. Bellegambe loc. c., q. 7; La Croix loc. c., num. 1405, et alii. (27. Jubilæum extraordinarium, quod per duas hebdomadas post Jubilæum Anni Sancti concedi solet, necnon post coronationem Pontificis, ac sæpe aliis gravibus causis, continet non solum indulgentiam plenariam instar Anni Sancti, sed etiam confert facultatem eligendi confessarium ab ordinario approbatum, qui a reservatis etiam in bulla *Cænæ* contentis absolvat, et vota commutet, et præscribere seu exigere solet septem opera, scilicet processionem, visitationem ecclesiarum, orationem in illis, confessionem, communionem, jejunium et eleemosynam.

(28. Bullæ Jubilæi quoad ea quæ favores continent sunt latissime interpretandæ, quantum patitur proprietas verborum, nisi in particulari casu vel materia, communis praxis, vel stylus curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat. Quoad ea autem quæ gravamen seu odium continent, sunt stricte interpretandæ quantum patitur verborum proprietas, nisi in particulari casu stylus et praxis curiæ Romanæ, seu aliqua peculiaris ratio laxiorem interpretationem persuadeat; arg. cap. *Odia* 15, de Regulis Juris in 6, ibi: *Odia restringi, et favores convenit ampliari*. Sic Suarez, Henriquez, Sanctarell. cum Gobat loc. c., cap. 5, num. 24 et sequent.; Viva de Jubilæo, quæst. 2; La Croix loc. cit., num. 1395, et alii passim. Hinc latissime sunt interpretandæ, quoad concessionem indulgentiæ, electionem confessarii, absolutionem, commutationem operum, vel votorum, etc., quia sunt favores. Stricte autem sunt interpretandæ quoad obligationem ad certa opera, suspensionem indulgentiarum et facultatum, quia sunt gravamina. Bellegambe loc. cit., part. i, sect. 1, quæst. 6; Viva de Jubilæo, q. 2; La Croix loc. cit., num. 1395, et alii plures.

(29. Affertur tenor Notificationis pro Jubilæo Anni Sancti 1675; concessa a Clemente X.

I. Conceditur pœnitentiariis et parochis Romanis facultas absolventi a reservatis et commutandi vota.

II. Nec non confessariis religiosis a vicesgerente approbatis.

III. Facilitatur religiosis consecutio Anni Sancti.

IV. Alumnis etiam et convictoribus Seminariorum.

V. Pauperibus et ægrotis.

VI. Declaratur bulla indulgentiarum suspensiva.

VII. Indulgentiæ concessæ visitantibus septem ecclesias Romanas et Scalam Sanctam non suspenduntur. Conceduntur item indulgentiæ septem annorum et totidem quadragenarum visitantibus Romana templa

ubi habetur comprecatio quadraginta horarum circularium.

## NOTIFICATIO.

*Gasper tituli S. Silvestri in capite S. R. E. presbyter cardinalis Carpineus SS. D. N. Papæ vicarius generalis.*

« I. Cum sanctitas Domini nostri, prout nobis vivæ vocis oraculo mandavit, cupiat magis dilatari gratias concessas omnibus illis qui convenerunt veniuntque Romam, consecuturi plenissimum Jubilæum hujus Anni Sancti, mandavit nobis exponere infrascriptas concessionem, declarando etiam illa quæ in dubio erant aut vocabantur, non sine fidelium turbatione et scrupulis conscientiarum; quarum paci et quieti consulturus Summus Pontifex hæc statuit. Ut itaque confessarii et operarii multiplicentur ad majorem commoditatem et consolationem fidelium utriusque sexus, in omni plenitudine paternæ charitatis concedit amplam facultatem pœnitentiarii basilicarum S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, et Sanctæ Mariæ Majoris, sive illi sint ex numero antehac esse solito, sive ex jam aucto, et deinceps augendo. Ad hæc eadem facultas datur parochis tam sæcularibus quam regularibus omnium parochiarum Romæ (durante tamen Jubilæo Anni Sancti) absolventi, videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum, fideles ab omnibus sententiis et censuris ecclesiasticis contra illos pronuntiatas et fulminatis a sacris canonibus, aut iudicibus quacunque de causa, et ab omnibus peccatis, et excessibus, et delictis quantumcunque gravibus, et enormibus, etiam a casibus reservatis, non solum ab episcopis aut alias a prælatis inferioribus, verum etiam a pontifice ipso et a Sede Apostolica, etiam in bulla *Cenæ Domini*, et in aliis quibuscunque constitutionibus Summorum Pontificum in foro conscientie tantum. Ubi tamen sua Sanctitas declarat se non intelligere, aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi aut habilitandi, et in pristinum statum restituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem, et inhabilitatem quomodocunque contractam spectant, nequidem in foro conscientie. Neque vult Sua Sanctitas ut præsens facultas illis suffragetur quia Summo Pontifice, aut iudicibus apostolicis, vel aliis ecclesiasticis excommunicati, suspensi, vel interdicti sunt declarati, vel publice denunciati ob sententias et censuras ecclesiasticas, quas incurrerunt, adeo ut isti omnes absolvi non possint nisi prius satisfecerint, aut obdiderint, et partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint: Ita ut iidem pœnitentiarii et parochi, durante hoc Anno Jubilæi Sancto, commutare possint omnia vota (exceptis castitatis et religionis) in alia opera pia, imponendo nihilominus hisce fidelibus et quibusque aliis pœnitentiam salutarem, et alia opera pia, quæ iidem confessarii præscribent.

« II. Concedit pariter Sua Sanctitas con-

fessariis religiosis cujuscunque ordinis, congregationis, et instituti, qui a nobis, vel a nostro vicesgerente sunt approbati aut deinceps approbabitur, eandem facultatem paulo ante explicatam absolventi a censuris et casibus reservatis, commutandi vota, modo ea non sint substantialia religionum, ordinum, institutorum: imo et religiosis confessariis eadem datur facultas respectu sui ordinis, et illis æque qui modo Romæ versantur quam illis qui huc sunt venturi hoc Anno Sancto, ad quem se extendit tantum hæc facultas.

« III. Ut etiam facilitetur iisdem religiosis consecutio Anni Sancti et Jubilæi, tantique thesauri spiritualium gratiarum, et ut illi suo exemplo populum ædificent, compareantque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas, significatur eisdem suam Sanctitatem contentam esse ut illi visitent quatuor assignatas ecclesias ter tribus diebus continuis, aut interpolatis, una simul, aut quo ad majorem partem euntes, et incedentes respectu eorum qui in eodem conventu aut domicilio versentur, et sic consequantur sanctissimum Jubilæum ac si visitassent easdem ecclesias triginta vicibus aut diebus. Ut tamen observentur cætera quæ in bulla Jubilæi continentur, hortamur et nos eosdem religiosos in Domino ut incedant servato ordine quam modestissime, recitantes psalmos, vel alias preces, et laudes divinas decantantes.

« IV. Idem indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis aut interpolatis eadem ecclesie, concedit Summus Pontifex etiam alumnis et convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis et liberalibus artibus, et vivunt in eodem convictu, modo et illi eant saltem quoad mediam partem, quos comitabitur præfectus, aut rector, vel alii qui eisdem præsent, ut eadem gratia fiat iisdem præfectis magistris, et famulis; moventur tamen hi omnes ut servent modestiam et ordinem inter eundem, orantes, vel pium quid tractantes. Regulares vero aliunde huc profecti ad lucrandum Jubilæum sanctum, si voluerint se conjungere aliis suæ religionis, habebunt eandem facultatem, et lucrabuntur indulgentias, si eodem modo ter visitaverint ecclesias supradicto modo. Si vero non possent expectare aliorum commoditatem, aut advenirent cum alii lucrati sunt indulgentias, concedit Sua Sanctitas ut illi quinque visitando ecclesias per quinque continuos aut interpolatos dies lucrarentur easdem indulgentias quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies easdem ecclesias prout bulla præscribit. Conceditur etiam congregationibus, Confraternitatibus, quæ aliunde huc venerunt, ut simul semel visitando ecclesias, et his separatim fratres aut sorores satisfaciant visitationibus præscriptis in bulla, ac si quindecim visitassent.

« V. Et cum maxime Sua Sanctitas secundum viscera paternæ compatiatur paupertati ac multiplicibus miseriis advenarum, eorumque plurimorum, qui non habent unde se tardius alant, vel neque sufferre possunt mo-

lestias tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen et prudenti dictorum pœnitentiarii et Parochorum, ut quivis dispenset juxta cujusvis pœnitentis indigentiam, et possibilitatem in assignando numero visitandarum ecclesiarum, dando eisdem omnem facultatem circa id necessariam et opportunam. Eodem modo quia cives et incolæ Romani, qui inceperunt visitare ecclesias, sed morbo impediuntur prosequi secundum opus, ne priventur fructu laborum inchoatorum et piæ intentionis qua aggressi sunt opus, ne affligantur corpore et animo, concedit eisdem pœnitentiariis et parochis facultatem commutandi opera injuncta visitandarum ecclesiarum per triginta dies in alia quæ viderint esse proportionata possibilitati dictorum civium et incolarum infirmorum. Quod si repente mors immineat antequam obtineat hanc immutationem, concedit illis Sua Sanctitas Jubilæum ac si omnia opera necessaria expleverint.

« VI. Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas et ut fideles sint certi de indulgentiis quas possunt lucrari, declaramus una eum oraculo Suæ Sanctitatis, ut supra insinuato, quod in suspensione generali indulgentiarum quæ continentur in bulla data 5 maii 1674, publicata vero 17 septembris ejusdem anni, non intelligantur suspensæ indulgentiæ altarium privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro defunctis; verum illæ suspensæ habeantur quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere animabus purgatorii per modum suffragii, et nec minus indulgentiæ concessæ in articulo mortis, et facultates communicandi eas aliis. Sicut nec cessant modo facultates sanctæ Inquisitionis et officialium ejusdem, aut missionariorum, et ministrorum, qui ab eodem tribunali, vel a congregatione Propagandæ Fidei, vel cum auctoritate apostolica ad id sunt deputati, et specialiter facultates absolventi ab hæresi illos qui, abjurato errore, redduntur capaces earum gratiarum.

« VII. Ut autem conservetur pium institutum et consuetudo visitandi templa in quibus celebratur comprecatio Quadraginta Horarum, et præcipua sanctuaria colendi hac in Urbe, concedit Sua Sanctitas, non obstante ea generali indulgentiarum suspensione, ut indulgentias solitas consequi possint fideles utriusque sexus quas alias consequerentur, si visitent septem ecclesias et Scalas Sanctam diebus determinatis, eo modo et his cum conditionibus quibus illæ fuerunt concessæ, easdem lucrantur indulgentias. Quivis insuper qui visitat templa ubi habetur expositum Venerabile, et est comprecatio Quadraginta Horarum circularium, et ordinariorum, quæ sunt in publico folio a nobis exponendo et publicando hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, confessione prius, et sacra communione peractis, aut saltem concepto firmo proposito confitendi, lucrabitur is septem annorum indulgentias

FERRAR. IV.

et totidem quarantenas toties quoties id præstiterit.

« Datum Romæ ex ædibus nostris, die 1 februarii 1675 Jubilæi.

« G., CARDINALIS VICARIUS. »

(30. Affertur tenor alterius notificationis jussu Innocentii XII, editæ 6 martii 1700, occasione Anni Sancti tunc tempore decurrentis.

## NOTIFICATIO.

*Gaspar miseratione divina episcopus Sabinensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis de Carpineo, S. D. N. Papæ vicarius generalis, Romanæque Curie, ejusque districtus iudex ordinarius, etc.*

« Essendosi nella sacra congregazione deputata da N. S. sopra la celebrazione del presente Anno Santo, tenutasi li 26 febbraio prossimo passato, portate diverse istanze per la dichiarazione di alcuni dubbi insorti sopra l'intelligenza della bolla; e riferitosi da noi il sentimento della medesima congregazione alla Santità di N. S. nell'udienza delli 4 corrente, alla Santità Sua è piaciuto fare le seguenti dichiarazioni.

« Che l'intera visita delle quattro basiliche debba farsi in un giorno contenuto nello spazio di 24 ore, e che il giorno debba intendersi, ed incominciare, e finire da una mezza notte all'altra.

« Che la facoltà concessa sotto li 24 gennaio del presente anno alli RR. parochi, penitentiarii, e confessori destinati di commutare in altre opere pie, ed abbreviare le visite delle chiese agli invalidi ed impotenti cittadini ed abitanti di Roma, che avessero incominciato le medesime visite, e per sopravvenienza d'impedimenti non le potessero terminare, la Santità Sua l'estende a beneficio ancora di quelli, che per la causa stessa non le avessero potute incominciare. Avvertendo però i suddetti confessori, come sopra, di servirsi con prudenza, e moderazione di questa facoltà. Rimanendo nel resto preservato l'indulto concesso a noi, ed al nostro monsignor viceregente di poter delegare qualsivoglia confessore ne' casi particolari con le stesse facoltà.

« Concede parimente la Santità Sua al padre confessore del sacro palazzo apostolico la stessa facoltà de' penitentiarii per la famiglia, che lo serve durante il presente anno.

« Intende ancora, e dichiara, che le indulgenze solite a concedersi da' signori cardinali, legati, nunzi apostolici, e Vescovi; o nell'uso de pontificali, o nel darsi le benedizioni, o in altra forma solita, rimangano nel loro vigore, non ostante la generale sospensione dell'Indulgenze sotto li 4 Giugno 1699.

« Data dal nostro palazzo, questo di 6 marzo 1700.

« G., CARDINALIS VICARIUS. »

(31. Subnectitur hic bulla suspensiva indulgentiarum tempore Jubilæi Romani, seu Anni Sancti, et est ut sequitur eadem ad litteram edita a Clemente X, pro Anno Sancto